



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XI. De pace acquirenda, & zelo proficiendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

2. Sed proh dolor! sæpe inaniter & frustra. Nam hæc exterior consolatio, interioris & divinæ consolationis non modicum detrimentum est.

Ideo vigilandum est, & orandum, ne tempus otiose transeat.

Si loqui licet, & expedit, quæ ædificabilia sunt, loquere.

Malus usus, & neglectus profectus nostri multum facit ad incustodiam oris nostri.

Juvat tamen non parum ad profectum spirituales devota spiritualium rerum collatio: maxime ubi pares animo & spiritu in Deo sibi sociantur.

CAPUT XI.

De pace acquirenda, & zelo proficiendi.

1. **M**ultam possemus pacem habere; si non vellemus nos cum aliorum dictis & factis, & quæ ad nostram curam non spectant, occupare.

Quo-

Quomodo potest ille diu in pace manere, qui se alienis curis intermiscet? qui occasiones forinsecus quærit? qui parum, vel raro se intrinsecus colligit?

Beati simplices, quoniam multam pacem habebunt.

2. Quare quidam Sanctorum tam perfecti & contemplativi fuerunt?

Quia omnino seiplos mortificare ab omnibus terrenis desideriis studuerunt: & ideo totis medullis cordis inhærere, atque libere sibi vacare potuerunt.

Nos nimium occupamur propriis passionibus, & transitoriis nimis sollicitamur.

Raro etiam unum vitium perfecte vincimus, & ad quotidianum profectum non accendimur: ideo frigidi, & tepidi remanemus.

3. Si essemus nobisipsis perfecte mortui: & interius minime implicati: tunc possemus etiam divina sapere, & de cœlesti contemplatione aliquid experiri. To

Totum, & maximum impedimentum est, quia non sumus a passionibus, & concupiscentiis liberi: nec perfectam Sanctorum viam conamur ingredi.

Quando etiam modicum adversitatis occurrit, nimis cito dejicimur, & ad humanas consolationes convertimur.

4. Si niteremur, sicut viri fortes, stare in praelio: profecto auxilium Domini super nos videremus.

Ipse enim certantes, & de sua gratia sperantes paratus est adjuvare: qui nobis certandi occasiones procurat, ut vincamus.

Si tantum in istis exterioribus observantiis profectum religionis ponimus, cito finem habebit devotio nostra.

Sed ad radicem securim ponamus: ut purgati a passionibus, pacificam mentem possideamus.

5. Si omni anno unum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur.

B

Sed

Sed modo e contrario sæpe sentimus, ut meliores, & puriores in initio conversionis nos fuisse inveniamus, quam post multos annos professionis.

Fervor & profectus noster quotidie deberet crescere: sed nunc pro magno videtur, si quis primi fervoris partem possit retinere.

Si modicam violentiam faceremus in principio, tunc postea cuncta possemus facere cum levitate & gaudio.

6 Grave est, assueta dimittere: sed gravius est, contra propriam voluntatem ire.

Sed si non vincis parva & levia, quando superabis difficiliora?

Resiste in principio inclinationi tuæ, & malam dedisce consuetudinem: ne forte paulatim ad majorem te ducat difficultatem.

O si adverteres, quantam tibi pacem, & aliis lætitiā faceres, te ipsum bene habendo, puto, quod sollicitior esses ad spiritualem profectum.

CA.